

rierit; ac propterea *Œ* qui dormierunt in Christo, perierunt. Nos vero Christi sectatores, addit Apostolus, quum in præsentī vita tot ærumnis & contumeliis propter Christum, & spem vitæ æternæ vexemur, si verum foret, quod nonnulli ex Ethnicis & Sadducæis persuadere vellent, videlicet perire Animas in morte nostra: ceteris hominibus miserabiliores dicendi essemus, ut pote quibus neque in præsentī, neque in futuro sæculo ullum foret solatium. En cur tanti factum fuerit dogma Resurrectionis, non solum, quia rursus excitandum est Corpus, sed etiam quia incerto hauritur a Christi Fidelibus eximium illud Religionis principium de Immortalitate Animæ. Itaque sive mortui Corporis futuram vivificationem, sive Animæ immortalis existentiam, e Resurrectionis doctrina manantem, consideremus, semper fuit, semperque erit inæstimabilis pretii apud Christianos dogma de ipsa Resurrectione Corporis. Hanc autem & sperare, & vehementer cupere non immerito consueverunt Sancti Patres. Nunc tantummodo Animæ Justorum purgatæ coronantur in Cœlis: Tunc homo, e Corpore & Anima constans, resumta Carne, totus coronabitur. Tunc perfecta & omnibus numeris consummata felicitas erit, *Deo pro nobis melius aliquid providente*, ut qui jam præcesserunt ad æterna gaudia, *non sine nobis consummarentur*. Heb. xi. 40. idest non sine nobis, neque ante nos, Corpora sua in Resurrectione recipiant. Justis & nunc post mortem retributio datur & Beatitudo, quæ Animabus congrua est. Postremo autem die in omnium Resurrectione plena erit & completa Beatitudo, quum suum Corpus Anima receperit.

CAPUT IV.

Apocalypses loca quædam non Burneti somniis, sed Catholicorum sententia omnino faventia. Quid Altare, quid Thronus Dei ibi. Remuneratio, Sanctis a Deo promissa, brevi comprehendenda. Requies & Requiescere in sacris Literis, & apud Patres Felicitatem summam ac Cælis jam constatam Justis significat. Non una Resurrectio in divinis Libris.

PRæterea inquit Burnetus p. 43. Visne scire Justorum statum post mortem? audi Johannem in Apocal. vi. 9. scribentem: *Vidi sub Altare Animas intersectorum propter verbum Dei &c. Et clamabant voce magna, dicentes: Usquequo, Domine non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?* Non in Cælo, sed sub Altari, Sanctorum Animæ adhuc quiescant. Atqui Burnetus, uti jam monui, in sacris Literis ea tantum expiscatur, quæ cum opinione sua consentire videntur; reliqua vero, quæ adversantur, lubentissime dimittit, sive contemnit. Non aliter Ariani e sacro illo fonte ea tantum depromere consueverant, quæ Filium minorem Patre suspicari faciant, ceteris parcentes, unde ejus æqualitas manifeste confirmatur. Sed est amantium veritatem, singula in divinis Libris sincere rimari, diligenter expendere, & ubi pugnantia videantur, perquam sollicito studio conciliare. Mirum porro est, quei Burnetus pro sua opinione lo-
cum